

leves, prælongos & peramplos, ita ut totum corpus protegant. Jam, ne jaculis aut securibus perrumpantur omnino ac diffilant, eos intus confuunt restibus ex animalium corio contextis, quæ totam clypei molem continent connectuntque. Non gestant è brachio suspensos, sed funem ex quo pendent, rejiciunt in humerum dextrum: adeo ut latus corporis sinistrum clypeo protegatur; mox ubi jaculum emiserunt, aut ferream disploserunt fistulam, paulum retrahunt dextrum latus, ac sinistrum clypeo tectum obvertunt hosti.

In prælio id maximè student, vivos ut hostes capiant. Captis & in fuos abductis pagos primum vestes detrahunt; deinde ungues crudis dentibus singillatim avellunt: tum palo alligatos verberant ad satietatem. Mox vinculis solutos cogunt ire, ac redire, geminum inter ordinem armatorum spinis, fustibus, & ferramentis. Denique, accenfo circum foco, lentis ignibus miseros torrent. Interim torofas carnes fodicant candardibus laminis, & verubus, aut recifas ac semi-üstulatas, sanie fluentes & sanguine, vorant. Nunc tædis ardentibus totum corpus, ac præfertim hiatus vulnerum, pertentant: nunc detracta capitis cute inspergunt nudæ calvæ favillam, & fervidos cineres: nunc brachiorum nervos ac pedum vellunt, lancinant, aut hebeti secant lente ferro, derepta parumper cute, in pedis malleolo, & manus carpo. Sæpe cogunt captivum infelicem ingredi per subjectos ignes: aut frusta suæ carnis mandere, ac vivo sepulcro condere. Hujusmodi carnificinam non pauci è Patribus So-